



# The Holy See

---

PAULUS PP. VI

EPISTULA

## *PASTORALEM EPISCOPORUM\**

AD E. MUM P. D. BERNARDUM IOANNEM S. R. E. CARDINALEM ALFRINK,  
ARCHIEPISCOPUM ULTRAIECTENSEM, CUI GRATULATUR QUOD EPISCOPI HOLLANDIAE  
IN PASTORALI EPISTULA SS. EUCHARISTIAE MYSTERIUM  
SUORUM CHRISTIFIDELIUM CONSIDERATIONI PROPOSUERINT.

*Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.*

— Pastoralem Episcorum Hollandiae epistulam, quam gallico sermone translatam Nobis  
mittendam nuper curasti, admodum libenter excepimus, eandemque, ut par erat, attento animo  
perlegimus.

Quod placuit vobis ut a SS. Eucharistiae mysterio argumentum ovium vestrarum considerationi  
proponendum sumeretis, fuit id Nobis supra quam dici potest iucundum, fecitque eo vel magis  
exploratam vigilem sollertia vestram, quae, prout temporum necessitates ac spirituale bonum  
gregis postulant, nullis parcit curis laboribusque, ut ovium pietas integra fulgeat et fides a quavis  
serpentium errorum labe immunis prorsus servetur. Ac revera nihil utilius, nihil salutarius  
christifidelibus contingere potest, quam eorum cogitationes, mentes ac studia convertere ad  
Eucharisticum Sacrificium, Passionis Christi memoriale perpetuum, eosque adducere frequentes  
ad augustum altaris Sacramentum, in quo Christus praesens adest caeleste animarum nostrarum  
alimentum, et omnibus, qui Illum in tabernaculis adorant, gratiarum se praebet fontem  
inexhaustum.

Oblatam igitur opportunitatem libenter nanciscimur adhortandi vos ut in pastoralibus vestrīs  
propositis insistatis. Quam ad rem vos certiores facere gaudemus, quaecumque a vobis consilia

capta fuerint sive ad germanam tanti mysterii doctrinam secundum Sanctae Ecclesiae documenta recte explicandam, sive ad amplificandum amorem et cultum Sacramenti augusti, eadem Nobis probatissima fore.

Interea vero, ob hoc vestrae sollertiae testimonium, Nostras excipite gratulationes et laudem, quibus quidem flagrantia adicimus vota, ut, Christi favente gratia, quidquid pastorali conscientia ducti elaborare et efficere contenditis, expectatum assequatur exitum ac vobis et operae vestrae sociis dulcia solacia progignat.

Haec ex animo ominati, tibi, dilekte Fili Noster, ceterisque Hollandiae sacris Pastoribus, itemque universis christifidelibus curae vestrae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIX mensis Iulii, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.*

**PAULUS PP. VI**

---

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 12, p. 857 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana